



Historiæ Societatis Iesv Pars ...

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis
ejusdem Sacerdote


Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCX

Cum Sanctissimus D. N. Urbanus Papa VIII, die 13. Martii anno 1625. in S.
Congregatione S. R. & Universalis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)

gnam habent. Quotus enim quisque est, qui res Indicas, aut Canadenses, exempli causâ, valde norit? Unde autem hæc notitia peti commodius potest, quàm ab Historia nostra, & Societatis hominibus, qui diu sunt in istis locis versati, & quorum fides laborare minus debet suspitione adulationis & negligentiae? Quid quod Evangelii præcones, quos pietas sua, & servandarum animarum ardor, ad ignoti Orbis gentes Christianis imbuendas mysteriis vocat, docendi sunt quæ suscipiant pericula, quas nationes, quibus institutis ac moribus assuetas, quibus infectas vitiis ac superstitionibus, adeant. Quod si nihilominus austeris censoribus placere vox Principis Lyricorum nequit, monens utile dulci miscendum esse: non valde pugnabo ut ista legant. Itaque consulto factum fuit ut ederentur diversis, minoribusque litteris, ac fere in singulorum librorum calcem rejicerentur, ut omitti sine detrimento perpetuæ narrationis possent. Unum superest quod moneam, ne quem hujus Tomi terreat moles, illum in duos dividi posse. Ita enim comparatæ sunt chartæ ac divisæ, ut libri priores septem, octo, vel novem, à posterioribus separari, & seorsum compingi possint. Indici tergemino addidimus expetitum diu catalogum Provinciarum, domorum, & collegiorum, quæ hoc anno MDCCX. in Societate universa numerantur. Perro cum Tomus prior istius quintæ partis decem libros complectatur, primum hujus posterioris Tomi Librum, undecimum appellavimus. Errata, quæ Typographis, licet multum monitis, exciderunt, lectoris benignitas condonabit.



CUM Sanctissimus D. N. Urbanus Papa VIII. die 13. Martii anno 1625. in S. Congregatione S. R. & Universalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Julii anno 1634. quo inhibuit imprimi libros, hominum, qui Sanctitate, seu Martyrii fama celebres è vita migraverunt, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, & quæ hæcenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Junii 1631. ita explicaverit, ut nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolute, & quæ cadunt super personam, sed ea duntaxat, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quod iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes Auctorem. Huic Decreto, ejusque confirmationi & declarationi, qua par est observantia & reverentia, insistendo; profiteor me haud alio sensu quidquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ, nituntur, iis tantummodo exceptis, quos eadem sancta Sedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum, catalogo adscripsit.